

Methodus

Studiorum

ad usum Congregationis
de Somasehâ

per Rei Literariæ Moderatores deputatos
exhibita

atque anno 1741 iussu

Don Joannis Baptistæ Riva

Præpositi Generalis
insinuata

Nos Don Joannes Bapta Riva Praep.^{tus} Genlis
Congregationis de Lomascho

Dilectis in Xto Filij Rherices, Philosophiae, ac Theologiae
Professoribus salutem in Domino.

Cum methodum de studiis literarum, et scientiarum
in nostris Scholis instituendis stabilendam (quod
providè certè a Rmo P. D. Petro Paulo Gottardi
Antecessore nro in definitorio Vicentio jam
decretum, nuper Mediolani a P. P. Definito-
rii plenissimè comprobatum, a definitum
fuit) nobis exhibuerint totius rei literariae
Moderatores; muneris nostri pretium duximus
eandem universis et singulis Congregationis
nre Patribus, qui Clericis, et Novitiis erudiendis
presunt, mittere. Quapropter sicubi in decretis
paulò ante editis innuimus, publicè utili-
tati, et profectus apprime consulentes, oramus,
obtestamurque Professores omnes, ut demand-
tam studiorum rationem auspiciatò exequantur,
in eam adducti spem, quod Juventus nostra
ex nova hac institutione uberiores percipiant,
et maturiores Sapientie fructus. Quoniam
verò tres annos absumendos iri in Theo-
logicis tractatibus percurrendis, duosque in
Philosophicis sufficere dijudicamus; id circò

post utrum Philosophiæ cursum perutile, imò
necessarium nobis videtur, annum intermedium
impendi debere literis humanioribus resumendi;
unde fiet, quod studiosi Adolescentes
robustiori eloquentiâ facile eminebunt, ubi
lux Philosophiæ accesserit. Rogamus ideo Adm.
R. R. Patres Visitatores, ut iniuncti ministerij
officio prescriptam hanc methodum unice
mandent attendi; neve ab ea recedant,
Institutores nostros incitabunt, animabunt,
ugebunt. Superiorum denique cura et vigilan-
tia erit, eorundem commodis et usui idoneos
libros, in quantum fieri potest, comparare,
cum hæc sit potissima Juventutis suppellex.

Methodus Studij humaniorum literarum rectè instituendi.

Adolescentes nostros, qui et Superiorum jussu
humanioribus literis operam navant, eâ latine
lingue saltem cognitione imbutos esse presup-
ponimus, ut, sine Lexicorum subsidio, facilius
res Scriptores intelligere, et rerum scripturarum
sensu scite adsequi queant: Si qui tamen in
Grammaticæ præceptis adhuc exerceri posulent,
ea petantur a Vossio, et Scioppio, qui a Julio
Cesare Scaligero, et Francisco Sanctio desumptas,

breves unà, et ad naturalem rationem, et ad simpli-
ciora principia accommodatas observationes, et
regulas tradidere. Porro ergo meminimus cum
Joanne Clerico, primo humaniorum literarum
Candidato Medico esse saltem Geographiæ cogni-
tione dirigendos, ut Latinos scriptores legentes
historiam rerum scripturarum perspicuè advertant.
Utantur ideo Professores Compendio Geogra-
phico Philippi Cluverij cum notis Bunonis,
subque oculis Fironeum exhibeant Tabulas
ad usum Seminarij Patavini editas, ubi
nomina antiqua Regionum, nec non Recentio-
res de l'Isle, ubi nova adscripta sunt. —

Setur et ijs Lexis Chronologiæ notitiæ, quæ docet,
quo tempore res precipuè scitu dignæ evenerint,
et viri celebres, qui literis floruerint, vixerint.
Utile ad hoc apprimè erit primam saltem
partem Rationarij temporum a Petavio editi
per manus habere, historiam antiquam
Christophori Cellarij, et Epitomen ab initio
mundi usque ad Carulum Magnum Joan-
nis Clerici. Adde etiam possunt Tabulæ
Chronologiæ, quales sunt Petavianæ; præterea
quæ habere oportet Lexica Historica, et Geographica;
Historiam, et Geographiam tradidere iunctim Hofmannus,

et Moreri. Separatim Geographiam Bandrandus,
et Martiniere. Invisatur demique Bibliotheca
Fabricij, qui ordinatim Auctores Latinos
collegit, eorumque operum judicia, et editiones
attulit; eodemque tempore sedulo indicabuntur,
et adnotabuntur incrementa, decrementa,
ortus, diversique status, feliciorque lingue Latine etas.
Quoniam vero in omnibus scriptoribus, aut Clericis,
innumerae sunt allusiones ad consuetudines, ac
opiniones eorum temporum, quibus scripsere, quae in
numerato habendae sunt, ut eas, quae legimus, intel-
ligamus; idcirco necesse duximus et nos Com-
mentarios de consuetudinibus veterum scrutari, eaque
diligenter perolvere. Polybio, Dionysio Halicarnassico,
Plutarco, aliisque plurimis ad Romanos mores,
et opiniones pertinentias debemus; Recentiores
tamen ex omnibus collegerunt plenam eorum
descriptionem, et indices; inter quos utilem operam
navarunt rebus Romanis Joannes Rosinus, Joseph
Cantelius, G. H. Nieuport, Thuillius, Ubbo Em-
mius; Graecis Poterius, et Frestius, qui antiquita-
tum Homericarum Commentarios edidit; et
Pitiscus Graecis, et Romanis simul accuratissimo
Lexico; Cunaeus, et Fleury inter alios Hebraicis.
Interea horum Auctorum commercio certiores fiunt

Studiosi humaniorum literarum generalibus
artium, et vocabulorum ipsis pertinentium, no-
tationibus, quales sunt belli, nauticæ, Magistra-
tuum, nec non ritibus sacris et profanis, sine
quorum levi saltem notitiâ impossibile admodum
est probe Scriptores intelligere. —

Addatur non levis cognitio, ut inquit Clericus cap. 2.
Sylvar. Philologicar., earum Philosophiæ partium,
quarum peritiâ acuitur iudicium, et mores ad
Societatem civilem componuntur, Logicam
nimirum, et Ethicam; quas tamen per extensum
non percurrendas censemus. Summarie docendæ
regule principales ratiociniij, idearum, et
methodi; et legantur, et declarentur officia
Ciceronis, tractatus et de officio hominis, et
civis edito a Puffendorpio, viro celeberrimo, ijs
omissis, que non scripsisset, si orthodoxus fuisset; nec
non Theophrasti characteres cum annotationibus.
Si methodicè Ethicâ exercendi censerentur adole-
scentes, lectionem Ethicæ Purcotij præ aliis
utique consuleremus.

Hiscæ iactis fundamentis erudiri poterent commu-
nioribus Rhetoricis, et Poëticis præceptis, que desu-
mantur a Gherardo Vossio, et a Patre Lamy,
nec lectionem Quintilianii, scriptoris ad Heren-

nium, et Horatij pretereant Institutores, e quorum libris, veluti e fontibus, Centones recentiorum profluxerunt omnes, ut ipsi uniuersae eloquentiae communis videantur documenta.

Lodovicus Vives in lib. 3. et 4. de tradendis disciplinis; Ioannes Clericus in 2. tomo artis Criticae; Vincentius Grassinus in orat. de studiorum instauratione, item in opusculo de conversione doctrinarum, seriem praebent Auctorum ex ordine in Scholis legendarum, ex quibus pleraque horum, quae hactenus diximus, et dicendum hausimus. Quas in re tamen cavere cogimur, ut tempori hinc studiis profinito, et sumptui consulamus, praeterea non sunt obvendi Tirones multitudine librorum. Id autem, ut ordinatum fiat, et fructuose, ab ipsis incipiendum, qui facili stylo, sive facilitate ex argumento nimirum ipso, sive elocutione oriatur. Ex quo colligimus non posse in initio Scriptorem ullum utilius legi Terentio, et Phaedro, nec perfunctorie, sed summam adhibitam curam, ut probe puritas, et elegantia sermonis advertatur. Continuo invisendas et putavimus, et persolvendas elegantias Latinas a Laurentio Vallae collectas. Antequam ad alios scriptores progrediamur, necesse est scire fabulas et historias. Hinc Adole

scantis exerceantur. Justinii historia, quinque prio-
ribus libris didori seculi, Julij Hyggini fabulis,
sed pro ceteris apprimè Ovidij Methamorpho-
seon; unde usque ad Romanorum tempora, quid
veri, quid ficti ferat antiquitas, agnoscant. Res
Romanorum scripsere Velleius Lucius Florus,
Titus Livius, quos precipuè ostendendos, legen-
dosque consulimus, commendamus; Hisce
addatur lectio Ciceronis Epistolarum ad familiares
cum notis Pauli Marutij, quas optandum esse
ordine temporum dispositas iri, lecta prius
authoris vitâ a Plutarco, sive ab alio Recentio-
ri scriptâ, quam lectionem subsequetur Sallustius,
Caius Nepos, et Julij Cesaris Commentarios.
Postea ad orationes Ciceronis deveniendum
erit, et faciliores inter alias legendæ, quales
sunt pro Marco Marcello, pro Archia Poeta,
pro Lege Manilia, Catiliariq[ue] Q., que, ut
reliqua omnia, non celeri, sed accuratâ lectio-
ne percurrendæ, adeo ut quam pauca in ijs
remaneant loca legentibus obscura. Hos et
singulos, quos supra adnotavimus Authores,
non ita suademus legendos, quasi aut omnes,
aut soli necessarij, sed ut ostendamus cum
melioribus Criticis quis dilectus legendorum, et

quare sic progrediendum. —

Uti iisdem Criticis placuit, scriptoribus prosæ orationis adnectatur et lectis Poetarum, inter quos ad perpetuam exercitationem styli præ manibus inter cetera Latinorum opera *Aeneides*, *Eclogæ*, et *Georgicæ* Virgilij, et æqualis ævici *Vatis* *Ode* Horatij, qui ferè unus, auctore Quintiliano, dignus legi scripsit. In explicandis tam solute, quam metro strictè orationis scriptoribus sedulam adhibeant curam Professores, ut rectè, et rite interpretetur et declaretur quæ propria vocabulorum significatio, et æthimologia, quæ analogia; quæ simplex, quæ figurata locutio, utque singulorum ingenium, et Stylus degustetur: Denique assuescant Tirones in legendo Syntaxin cuiuscunque vocabuli advertere, et præcepta agnoscere, quæ commissa cæm exemplis, et assidua styli exercitatione firmiter inoleant animis, quam recitata memoriter, inquit Vincentius Grassinus.

Quoniam verò instituti potissimum nostri est non tam Latine, quam Italiane lingue consulere; coniungenda ideo in Scholis humaniorum literarum, tradendaque cum Latinâ Italianæ Eloquentiæ, ut Juventus nostræ ex hac utriusque lingue exercitatione uberiores fructus percipiat;

quibus si Græcam addi Superiorum deliberaretur
consilio, metam pro certo in hoc studio currentes
Eloquentiæ attingerent. Latine doctus nemo
haberi potest, aut Clericus, qui in Græcis literis
hospes est. Scaterent enim prose Scriptores Latini
vocalibus, et locutionibus Græcis quamplurimis,
et Poetæ Hellenismis, ut eorum Interpretes
passim ad Græcam linguam confugere necesse
habeant. Ergo servato ordine Chronologico,
Italice lingue primò studiosis indicabitur. Copiam
Authorum suppeditabit, quamvis non ordine Chrono-
logico, Justus Fontanini in sua Bibliotheca. Marius
Crescimbeni, et Ludovicus Muratori historiam
Italice poësis disertè et loculenter tradiderunt.
Porro Adolescentes nostri initia e Buonmattæ
Grammatica, et Cironacij, nec non observationi-
bus Facciolati, a Cironio et Alumno accuratis.
Lexicographis adiuti ad vim et proprietatem
vocalorum intelligendam accipient. Has exerci-
tationes excipiet celebriorum Authorum, qui
Lucusque floruerunt, præcipuè seculo sextodecimo,
lectio; ex quorum multitudine deligi poterunt
Casa, Bembo, Caro, Passavant, Castilio-
negus. Augustinus Gobbi collegit selectiora
Poetarum omnis ævi; Scipio Maffei tragicas

elocutiones. Ut autem sumptus parcamus,
quantum fieri potest, nee multiplici et varia lectione,
quod apprimè cavendum, memoria et iudicium Adolescentum
obruatur, perturbetur, decernimus singulis comparandam
et continuo legendam *La raccolta di prose, e poesie*
ad uso delle Regie Scuole di Piemonte in duobus
tornis divisa, et edita a Hieronymo Tagliacucchi
celeberrimo viro, et politiorum literarum oculo,
quæ ceterorum instar erit, cum opera cuiusve
generis celebriorem Authorum aurea contineat.

Hinc grammaticæ legibus, proprietate, et uocabulo-
rum initiati, Eloquentiæ præceptis, et crebri
Oratorum, Poetarum, aliorumque omnis generis
Scriptorum frequentia, facile pervenient
Adolescentes nostri ad rectè scribendi peritiam,
quam certè adsequimur Authorum, quos legimus,
imitatione, et regularum applicatione.

Quod apprimè fiet, si exerceantur Latine
italicè, Italianè Latine verte, id, quod factitarunt,
et preceperunt optimi tam veterum, quam
recentiorum Scriptorum quique. Hos Scriptores ut
probi Firanes imitentur, assuescant splendidio-
ra loca, quæ ijs legentibus occurrent, advertere,
Declarare, consulere. Utile idcirco admodum erit
diversos Authores, qui de eadem materia tracta-

rint, percurrere, et locutionis diversitatem, colo-
res, atque formas, nec non sententiarum lumina
observare, quid ~~de~~ melius cogitatum, et comptius
dictum sit, conferre, recognoscere. Ita Adolecen-
tum paulatim accuetur, formabiturque iudicium.
Henricus Stephanus loca collegit precipua, quae
Cicero decerpit a grecis Oratoribus. Julius
Cesar Scaliger in Poeticâ, et Calosius in
Horatij Commentariis quicquid Virgilius, et
Horatius a grecis Poetis acceperunt. Lami in
Parallelis, cum de Demosthene, et Cicerone verba
faceret, studia, quibus ij vacarunt, ut celebres
eloquentiâ evaderent, aperuit, recognovit. Stur-
mius denique, et Bartholomaeus Ricci in trac-
tatu de imitatione collegerunt quamplurima
celebriorum scriptorum loca, et inter se ea
compararunt. Ludovicus itidem Castelvetro
in Commentarijs operum Petrarcae, et Casae etc.
loca a Grecis et Latinis desumpta recognovit,
adnotavit. Eadem collationes leguntur in adno-
tationibus Scipionis Gentili in Jassum.
Interea cum Adolentes didicerint lingua-
rum, et eloquentie cognitiones, ideas, et
notationes clarè explicare, resque rite dispo-
nere, primò assuescant suo Marte Epistolas

producere, deivi loca communia, dissertationes,
Declamationeulas, et similia; sicque passim
facilitate inveniendi, et disponendi comparata,
ad Orationes, Historias, Poemata, aliaque
cujusque generis scripta concinnanda pervenient.

Ceterum rogamus, hortamurque Institutores nostros,
ut Quintilianum, Rollinum, Lamii, qui de studio
humaniorum literarum Largi, sciteque scripserunt,
atque Joannis Josephi Orsi in artem recte
cogitandi animadversiones diligenter perlegant,
ut quem ipsi literarum saporem, et methodum
eos docendi ex hinc Authoribus hausserint,
sensim Adolescentibus degustandum exhibeant.

Hec judicia, hec methodus non ita a nobis
exhibentur, ut superstitiose eo ordine adhibito,
eâ rerum, et Authorum lectione servatâ diri-
gantur Rhetorices candidati.

Prudentiq; Institutorum erit, si fortasse ingenio-
rum perspicuitas, et temporum opportunitas
id postulet, multa ex ijs, que seorsim, et ordi-
natim tractandam, et explanandam consulimus,
simul coniunctim tractare, et explanare.

Qua ratione poterunt Latinas et Italicas
linguas unâ interpretari; Chronologia tempo-
rum, et Authorum, Geographias recens, et veteres,

atque Consuetudinum, et opinionum ratio, unà
itidem edisci. Poeticæ, et Oratoricæ præcepta tradi,
coniunctim et partes Logicæ et Moralæ Philosophiæ
ad formandum iudicium, et eloquentiam scitu
necessariæ, statutis diebus, et interposito horarum
intervallo; pleraque denique delibari poterunt,
quæ ad maturiorem ætatem, et absolutis graviori
bus studijs, commodius et utilius differrentur,
resumentur.

Quamvis ad plenam humaniorum literarum insti
tutionem et profectum librorum plerosque, quos in
datâ methode laudatos meminimus, idoneos apprimi
fore censeamus; paucos tamen, quos infra adno
tabimus, Rhetorices Candidatis habendos suademus.

Scilicet =

Compendium de Antiquitatibus Rom. G. H. Nieuport.

Joseph Castelius de Republica Romana.

Il Catechismo storico di Claudio Fleury.

Costumi degli Israeliti, e dei Cristiani. del medesimo.

Respublice Grecorum Ubbonis Emmij.

Geographia vetus et nova Philippi Cluverij.

Rationarium temporum Dionysij Petavij.

La Biblioteca Italiana di Giusto Fontanini.

Le Grammatiche di Claudio Lancelotto, e di Benedetto Buonmattei.

Dictionary Ambrosij Calepini.

L'Ortografia di Giacomo Facciolati, o il Vocabolario ad uso
delle scuole di Torino.
Elegantie Latinae Laurentij Vallę.
Partitiones Oratorię Gerardi Vossij.
Epistolę ad Familiares, officia, et orationes Marci Julii Ciceronis.
Historię Justiniani et Titii Livii.
Cornelius Nepos.
Libri Metamorphoseon Publij Ovidij.
Virgilij Maronis Opera; con la traduzione dell' Eneide
d' Annibal Caro.
Horatij Flacci Poemata.
Poeti di ogni secolo di Agostino Gobbi.
Lettere d' Annibal Caro.
Prose, e Poesie raccolte da Girolamo Tagliagucchi.
Rimario di Girolamo Ruscelli. —

Methodus Studij Philosophici.

Brevem Philosophiæ historiam, quæ Prefationis loco esse poterit, Adolescentibus contulerunt Professores nostri; dehinc Logicam, postmodum Metaphisicam explanandas suscipient ex Recentiorum quidem placitis, sed ita tamen, ut in vulgaribus illis veterum disputationibus paululum immorari non dedignerentur: quæ enim juvat Scholarum phrasas, distinctiones, ut aiunt, tricas etiam, si placet, et Sophismata tenere, tum id præcavetur, ne in ea palestra exerciti nobis suorum doctrinarum exprobrant ignorantiam.

In Phisicis latius expatiri liceat. Veterum Sententiæ expendantur; systemata Recentiorum declarentur nulli se devotendo, sed omnia excutiendo, et quid quid scite dignum, observationes, experimenta, nova inventa, quæque ad Artium incrementa, et humanæ Societatis commodum faciunt, colligendo, exponendo, illustrando. Ab Hypothesibus cavendum potissimum arbitramur, neque alia methodo utendum, quam disputatoriâ, et ab ea, quæ in scholis obtinet, non multum abhorre.

Sub ipsum Philosophiæ initium statis quibusdam diebus Adolescentibus primis sex libri Elemento

rum Geometricorum Euclidis explanabuntur, quibus addere licebit undecimum et duodecimum solidorum, et Arithmetica numeralem, non vero literalem, quam Algebram vocant, cum hominem fere ab omni alio studio vacuum postulet, et a Theologicarum rerum studio et amore abducatur.

Methodus Studij Theologici.

Sacrae doctrinae Religiosae Tirannibus ad tam sanctam et angustam facultatem aditus aperiendus est. Praefatione, quae ipsis explicet, quid sit Theologia, quotuplex, qui eius finis, quod ejus obiectum. Tunc statim de principiis, quibus Theologia superextructa est, agendum, nimirum de Verbo Dei Scripto et tradito, atque de medijs, quibus divinae ab humanis Traditionibus discernuntur, scilicet de universae Ecclesiae sensu, de Conciliorum generalium, et Romani Pontificis auctoritate, atque de unanimi Sanctorum Patrum consensu. Addenda postmodum erunt nonnulla de Rationis naturalis, linguarum, dialecticae, Philosophorum auctoritatis, Historiae, aliarumque scientiarum profanarum, de rebus ad Religionem spectantibus, usu et abusu. Harum quidem rerum brevis esse poterit, et compendiosa pertractatio; sed cum de Ecclesia agent Professores, ibi aliquantulum eos

immorari vehementer cupimus, hortamurque, ut
verę Ecclesię notas diligenter expendant, easque soli
Ecclesię Romanę convenire contra innovatores ostendant.
Ceterum monendi erunt, consulendique Theologię
Candidati, ut Melchiorem Canum de Locis
Theologicis attentè perlegant, sibi que uberiores
illorum scientiam, verborumque simul elegantiam
am ex eius lectione comparent. —

Jam verò ipsa sacra doctrina. præ manibus sumenda
erit, capiendumque exordium a tractatione de Deo, et
divinis attributis, de scientia Dei, de voluntate, de
Predestinatione Sanctorum, de Visione, questionibus
inutilibus rejectis. —

Hos tractatus excipient Tractatus duo, unus de
Trinitate, alter de Incarnatione, in quo de
Gratia Christi mediatoris. —

In tractatu de Trinitate sibi potissimum
confirmandam Trium divinarum Personarum
distinctionem adversus Sabellianos; Filii et
Spiritus Sancti divinitatem adversus Arianos,
Jocimianos, et Macedonianos, ex literis, insti-
tutisque sacris assument Professores. Heresum
istarum brevem suis locis hystoriam conannabunt.
Spiritus Sancti a Patre et Filio processionem
adversus Grecos statuent, atque de tempore,

quo addata fuit Symbolo particula Filioque,
inquirent. Que verò a ratione naturali desum-
pta passim coegerunt Scholastici ad explicandam
processionem Filij a Patre, processionem
Spiritus Sancti a Patre, et Filio, memorabunt
quidem, sed nulli eorum assertioni acquiescent,
imò nullam satis probabili fundamento inniti,
nec ad rem esse ostendent. —

In Tractatu de Incarnatione catholicam doctri-
nam de unione hypostaticam duarum naturarum
in una sola Jesu Christi Persona adversus
Nestorianum, de duarum Jesu Christi naturarum
existentiam reali absque confusione, et commixtione
adversus Eutychenam, de duabus Jesu Christi volun-
tatiibus, et duabus operationibus adversus
Monothelitas explanandam, vindicandamque
sibi presertim proponunt Lectores nostri.
Agent postmodum de Satisfactione Jesu
Christi, atque illam questionem, An dici
possit unus de Trinitate passus, diriment
ex Cardinali Norisio, qui solidam hac in re
disertationem scripsit: de cultu demum, qui
debetur Christo, atque hic data occasione de
cultu Beatiss. Virginis, ejusque perpetua
Virginitate, de usu et cultu Crucis, de intercessio-

ne et invocatione Sanctorum, de illorum Sancta-
rumque Imaginum et Reliquiarum cultu, ubi
contra Helcidium, ceterosque Novatores deipare
Virginitas, et contra Iconomacos, aliosque recen-
tiores Hereticos invocatio Sanctorum, eorumque
cultus, sicuti et Imaginum et Reliquiarum
propugnandus se se offeret. —

Cum ventum fuerit ad Gratiam Christi
Mediatoris, uberius sit earum rerum explana-
tio, que spectant ad plenam Pelagianorum,
Semipelagianorum, et novissime Jansenista-
rum heresum sententiam, atque Fides Catholica
contra eos certissimis argumentis asseratur.
Que vero in utramque partem in Scholis
agitantur, innuant Professores, atque princi-
paliores diversarum opinionum fundamenta
in medium proferant: illudque demum sanioris
consilij erit, si in re tam obscura, tamque
incerta, atque in tantis studiis partium,
tantaque contentione nulli se se devoteant
opinionum. —

Harum rerum tractandarum methodus erit dis-
putatoria, et ea fore que in scholis obtinet.

Nihil interim eorum omittatur que ad Hystori-
am, et dogmas pertinet. Est enim in sententias pre-

ceteris sequendum proponimus, et immortalem
virum Dionysium Petavium in suo incomparabili
opere Theologicorum dogmatum, atque Mabillonium
in Annalibus Benedictinis et Museo Italico,
ubi clarissimus hic Auctor habet sane multas,
que plurimum lucis, et eruditionis nonnullis ijs
questionibus afferent, quas in tractatu de
Trinitate, et Incarnatione agitandas diximus.

Et hoc quidem matutini studij argumentum, atque ordo:—

Pomeridiani vero erit Sacrorum Canonum doctrinas, quam
Sapienti sane consilio methodicè tractandam Rev.
Definitorij Patres decreverunt. Huic studio aditum
aperiet Prefatio, que erit de origine, et divisionis
Juris Ecclesiastici: Universa illius pertractatio
in tres partes distinguetur, quarum prima erit
de Personis, altera de rebus, tertia de Judicijs
Ecclesiasticis. Consulunt Professores Claudij
Fleury Juris Ecclesiastici Institutiones, quas
latinas reddidit, et cum animadversionibus Justj
Henningij Boehmeri edidit Joannes Daniel
Gruber; unde Partitio ista desumpta est.
Suppeditabit ille rerum pertractandarum
materiam, tum etiam prestantiores suggeret
Auctores, ex quibus uberior copia, cum opus fuerit,
erui possit. Potiora seligerit, et utiliora; atque

in prima parte diligentius agent de Statu Religioso,
in secunda vero accuratius ac fusiùs de Sacramentis
in genere, atque de ijsdem singillatim. Interim monitos
eos volumus, ut perlegant etiam Institutiones
Gasparri in Lexico Romano Juris Ecclesiastici
Professoris, eumque duce[m] habeant in ijs emendandis,
que minus castigatè, ac paulo liberius more
Gallorum identidem scribit Fleury.

Sed et pomeridianis Institutionibus continetur
Tractatus de Actibus humanis, ubi agetur de Actu
humano in genere, de Voluntario, et Involunta-
rio, de voluntario Libero, de ijs, que causant
Involuntarium, de circumstantijs Actus humani,
de moralitate Actuum humanorum, de Conscientia
in genere, ejusque divisione. Appendix addi poterit
de Peccatis, que inquiret de Peccatis in genere, de
peccato mortali et veniali, de Distinctione
Peccatorum, de Peccatis internis et externis, de
malitia et reatu peccati, de causis a peccato
excusantibus, ac demum de Propositionibus,
quas decretis suis Romani Pontifices damnaverunt.

a ms. transcriptu fuit

per manus Cl. Joannis Bapt. Maioli Pigati. C. R. Somaschi
in archivo Ste. Marie Magdalene Genue. Pridie Kal. Jan.

MCMXXVII